



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXIII. An sint Consilia Euangelica?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

XXXII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI negant ante 400. annum à Christo nato ullam vsquam Monasticen extitisse. Vide in meo *Luthero-cal.* p. 2. q. 53.

CHRISTVS. I. Ego ipse meâ vitâ & Doctrinâ status Religiosi perfecti, quantus in Euangelio apparet, Autor extiti, promulgator, & protector, *Est autem Religio status hominum ad perfectionem tendentium per indissolubilem Votorum trium essentialium professionem.*

1. Consilium Obedientiæ dedi Luc.

9. *Qui vult venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur post me. Matth. 19. Consulebam iuueni. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.*

2. Paupertatem, Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.*

Item Matth. 19. vers. 29. Lu. 18. vers. 29. &c.

3. Castitatem docui, Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.*

II. Et verò Apostoli mei Consilia amplexi ritè tenuere: Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, Bona fortunæ, vt Pauperes: vxores, vt casti: & secuti sumus te, vt obedientes. Atque ideo Amen dico vobis, qui reliquerit domum, & patrem & matrem & vxorem, & agros propter regnum Dei, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

III. Accedit, quòd præcessit adumbratio Religionis; cuius quædam

est in Euangelio perfectio. 1. Gen. 4. *Enos, iste cepit inuocare Nomen Domini*, cultu rituque scilicet peculiari; nam antè Adamus, Abel, Seth inuocauerant Dominum modo vulgari.

2. Nazaræi, *Numero. 6.* Votis conceptis sese cultui diuino consecrabant.

3. Helias & Helisæus absque vxoribus, opumque studio vitam transegerunt. Vnde filios prophetarum, Monachos appellat S. Hieronymus ep. ad Rusticum.

4. Nepotes Rechab, *Ierem. 35.* abstinebant vino, agros non colebant, duram vitam exigebant.

5. Ioannem Baptistam verè Monachorum principem appellant S. Patres, Chry. Hier.

QVÆSTIO XXIII.

An sint CONSILIA Evangelica?

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ negant vtrumque. Vide in meo *Luthero-cal.* p. 2. q. 54-55. Et in *Genealog.* p. 2. q. 15.

CHRISTVS. I. Dicentibus Apostolis. *Mat. 19. Non expedit nubere*; respondi: *Non omnes capiunt verbum hoc; sed quibus datum est, &c.* Nam sunt eunuchi, qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum. *Qui potest capere, capiat*; hoc Consilij est, non præcepti: Neque illud, *Propter regnum cælorum*, significat, propter Euangelium prædicandum; (vt vult Martyr, contra S. Patres.)

2. De voluntaria Paupertate dixi adole-

olescentulo: Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vende, vende omnia qua habes, & da pauperibus; & veni, sequere me* obedienter. Et hoc Consilium esse patet ex hoc: *Si vis perfectus esse*: Nam de necessitate præceptæ salutis dixeram: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Quod autem Consilijs istis suum sit præmium, meritumq; certum, subiuncto docui: *Et habebis thesaurum in celo*. Sic omnis Patrum consensus est.

Sicque Petrus intellexit, ideo auditio Consilio hoc meo, aiebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis meriti ac præmij*: Matth. 16. respondit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum; quò magis tua: Et tollat crucem suam, quæ existit ex concupiscentiæ stimulo perpetiando; & sequatur me, obediendo. Qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam in vitam æternam*.

QVÆSTIO XXIV.

An Consilia Euangelica sint obseruatu possibilia?

XXXIV. ANTICHRISTIANISMVS.

PRÆCEPTA Dei obseruatu possibilia nemini sunt; quanto minus, si quæ forent, altioris Consilia perfectionis.

CHRISTVS. 1. Verè Pater meus dixit per Moysen, Deu. 30. *Mandatum hoc, quod ego precipio tibi hodie, non supra te est; sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, in corde tuo, ut facias illud*. Eccl. 33. *Homo sensatus credit Legi Dei, & lex ei fidelis*. Et ego, Matth. 11. *Tollite iugum meum s. vos: Is-*

gum enim meum suauè est & onus meum leue.

2. Atque idcirco, Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; dixi adolescenti: *Qui mihi verè reddebat. Omnia hæc custodini à iuuentute mea. Quid adhuc mihi deest?* Consilium, inquam, Euangelicæ perfectionis. *Nam si vis perfectus esse, Paupertatem voluntariam sectare, vende omnia, & da pauperibus; & veni, cum flore castitatis, & sequere me* Virginem Virgo, & obedientem obediens.

3. Erit, quando, Act. 2. & 4. nemo, quæ possidebat, aliquid suum esse dicit; sed erunt illis omnia communia: & venditorum pretium ponent ad pedes Apostolorum: ac diuident illa omnibus, prout cuiq; opus erit. Factumque est ita.

4. Erit, quando vni Philippo parenti, Act. 21. erunt quatuor filie Virgines prophetantes: Si tunc tot, quot erunt cæteris? Sap. 3. *Felix sterilis, & incoquinata. &c.* Quare, Isa. 56. *Non dicat eunuchus: Ego lignum aridum. &c.* Dabo eis nomen melius à filijs & filiabus.

5. Quoad obedientiam; Ego veni, non ut faciam voluntatem meam; sed Patris mei, qui in cælis est: Et hic est cibus meus. Huc & Discipulos vocaui, Matth. 4. *Venite post me; & faciam vos fieri piscatores hominum. Et illi continuo relictis relictis relictis retibus & navi, secuti sunt me obediens.*

QVÆSTIO XXV.

An Vota sint Vtilia, gratusq; DEO cultus? An cum Veteri Test. sublatus?

G 3

XXXV.